



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Capitvlo Messanensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

qua deposuerint super iis, ea tamen per aliorum dicta fuerant sufficienter ostensa, processum ipsorum iudicium sublato appellationis obstaculo confirmetis: quia licet adversus Abbatem non debuerint conspiratores admitti, iuramenta tamen ipsorum de veritate dicenda super statu ipsius domus recipi potuerunt, ut per ipsorum dicta super aliis fides posset haberi quæ Abbatem minimè contingebant, præsertim eum tunc probatum non esset eos conspiratores fuisse.

CAPITVLO MESSANENSI.

Epist. 277.
Conceditur ei
ut cohabitaret
secundæ uxori,
quam duxit
priori vivente.
Cap. Veniens.
De eo qui duxit.

Veniens ad præsentiam nostram G. laicus lator præsentium humili nobis insinuatione monstravit quod cum olim in civitate Lemovicensi quandam sibi matrimonialiter copulasset, & per biennium cohabitasset eidem, ab ea demum animi levitate recessit, cumque per seculum evagando Messanam advenerit, ibidem M. mulierem insciam penitus quod idem G. aliam haberet uxorem sibi solemniter copulavit, ex qua duos filios dinoscitur suscepisse. Verum cum eidem in penitentia fuisset inunctum ut ad legitimam rediret uxorem, & ipse propter hoc in suam patriam rediisset, uxorem suam inveniens carnis debita persolvit, ad Messanensem rediit civitatem, & supradictæ M. tamquam legitimæ cohabitavit uxori. Nunc autem impostam sibi pro priori excessu penitentiam agens, humiliter & devotè cohabitandi eidem M. à nobis licentiam postulavit. Licet autem præfatus G. vivente legitima conjugè prædictam M. sibi copulare nequiverit in uxorem, quia tamen uxore defuncta, utpote à lege ipsius solutus, in eandem M. de novo potuit matrimonialiter consentire, dummodo non præstiterit fidem adulteræ vel machinatus non fuerit in mortem uxoris, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus si præmissis veritas suffragatur, eundem G. ut supradictæ M. affectu adhareat conjugali, sublato cuiuslibet contradictionis & appellationis obstaculo, licentiam concedatis, non permittentes eundem super hoc ab aliquibus indebitè molestari.



APPENDIX

LIBRI VNDECIMI.

Dilectis filiis fratribus canobij sancti Prosperi subtus civitatem Regij constitutis iam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum.

QVotiens à nobis petitur quod religio-
ni & honestati convenire dinoscitur
animo nos decet libenti concedere ac pe-
tentium desiderijs congruum suffragium
impertiri. Eapropter, dilecti in Domino
filij, vestris postulationibus clementer an-
nuimus, & præfatum monasterium sancti
Prosperi, quod ad Romanam Ecclesiam
noscitur pertinere, in quo divino estis ob-
sequio mancipati, ad exemplar felicitis re-
cordationis Alexandri & Celestini præde-
cessorum nostrorum Romanorum Ponti-
ficum sub beati Petri & nostra protectione
suscepimus & præsentis scripti privilegio
communimus. In primis siquidem statuen-
tes ut ordo monasticus, qui secundum
Deum & beati Benedicti regulam in eod-
em monasterio institutus esse dinoscitur,
perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter
observetur. Præterea quascunque posses-
siones &c. usque permaneant, in quibus
hæc propriis duximus exprimenda voca-
bulis. Locum ipsum in quo præfatum mo-
nasterium situm est, cum omnibus teni-
mentis & pertinentiis suis & cimiterio suo.
Novem jugera terræ cum Capella sancti
Nazarij quam à quodam Præposito eju-
dem Ecclesiæ sancti Prosperi infra castrum
eiusdem civitatis sitæ per commutationem
justè factam Abbas qui tunc temporiserat
accepit, necnon & omnem terram illam
de Corticella vel in circuitu ipsius monas-
terij quæ ab Episcopis vel Canonicis vel
à quibuscunque fidelibus jamdicto monas-
terio data est. Insuper duodecim mansos
in Fossule, quatuor in Palude, quatuor in
Campagnola, tres in Quingenta, unum
in Curte nova, unum in Gargo, unum in
Fossadunde, quinque in Bagnolo, & Ca-
pellam sanctæ Multiolæ cum suis pertinen-
tiis, unum mansum in Crustulo veteri,
unum in vico de Sbregato, unum in mag-
no Casali, & Capellam sancti Silvestri cum
dominatu de eadem villa magni Casalis,
tres mansos in Regio & ducatu Regij,
Braidam Regis & omnem terram prædicti
monasterij circa eandem civitatem sitam,
tres mansos in Rodano, tres in Marmiro-

Epist. 277.
De consuetudine priores.